





Tom III  
Mijakaneop Philoby.

*[Faint handwritten signature or initials]*





95. 97

DISPUTATIO CHRONOLOGICA  
DE  
ANNO,

*Quam*  
PATRE TEMPORUM CLEMENTER ANNUENTE  
INFLORENTISSIMA LEUCOREA,

PRÆSIDE

*VIRO CLARISSIMO,*

DN. M. ÆGIDIO STRUBELI

AMPLISS. COLLEGII PHILOSOPH.

ADJUNCTO,

FAUTORE SUO HONORANDO,  
PUBLICO PLACIDOQUE EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS SAURIUS

SVÆR. POLON.

ANNO ÆR. CHRIST. VULG. MDC LIV.

PER. JUL. VIM. CCCLXVII.

JULIANO M VIC XCIX.

OLYMPIADIS VIC VII.

ÆRÆ HEGIRÆ M XXXII

CALIPPI M IXC LXXIX.

DIE XX MAII.

---

WITTEBERGÆ in Ergasterio JOH. HAKEN.





DISPUTATIO CHRONOLOGICA

ANNO

RECTORUM UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

IN FLORENTISSIMA AETHIOPIA

PRÆFATIO

AD CLASSEM

DR. M. AEGIDIO

AMPLISS. COLLEGIUM PHILOSOPH.

ADHUC

TACTORE SVO HONORANDO

PUBLICO EXAMINE SUBMITTIT

A JACOBUS SALICUS

SVB

ANNO EX CHRISTI VULGARI

RECTORUM UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

SUB ANNO MDCCLXXV

OLYMPIADIS VII

ERA REGIAE MDCCLXXV

CALLI MDCCLXXV

DE XX

IN HALLE

M. Daniel Vinken





*Ad Per Eximium & Literatissimum*  
DN. AUTOREM ET RESPON-  
DENTEM.

**P**rolixis reliquis formis perfectior audit  
Circulus, interitū principiūq; caret.  
Haud aliter tempus per partes itq; reditq;  
Ætas, quæ perit, nuncce redire parat.  
Hinc meritò curæ TIBI PRÆSTANTISSIME SAURI,  
Tempus, cognoscens tempore cuncta regi.  
Gratulor atq; precor reflexi temporis instar,  
Ne sciat ut finem lausq; decusq; tuum.

*αυτοχρηδιασε*

PRÆSES.



**A**nnos, annorumq; dies describere, Caesar  
Vix diuus ausit JULIUS,  
Vix & GREGORIUS Papa: & nos tanta putemus  
Nos posse, velle tradere?  
Regius hic labor est, SAURI! quem tu tibi sumis;  
Regum sit hoc decernere.  
Immo Sacerdotum, regeris, labor ille fuisse  
Fertur: sit ergò olim meus.  
Pulcrè! Ne timeas: † ANIUS dicere dcinceps,  
Phæbi Sacerdos atque Rex,  
Et mitrâ & sacrâ redimitus tempora lauro  
Qui comparere debeat.  
En! occurro tibi, ANCHISEN agnoscis amicum!  
Jungemus ambo dexteras.

† Virgil. 3. Æ-  
neid. vers. 80.

M. Daniel Vismarus.

AN.



**A** Num dum numero, numerando deficit *annus*:  
Tu tamen *annorum* tempora rite putas.  
Cum gratâ mentis numerâ *dulcedine SAURI*  
*Annos*: post annos secla beata manent.  
Hæc Te; meque, piosq; in cœlo parta manebunt,  
Haut numerare volo, vivere at ista volo!

*raptim*

*congratularâ meo SAURIO*

**M. Martinus Liepenius.**

Gortzâ-Brandenb. March.



**S** AURIUS egregio laudum stimulus amore  
Palladii aggreditur nobile Martis opus.  
Enthea mens se dâ nescit caligine mergi,  
Nec virtus quicquam noctis habere potest.  
Hinc etiam in cathedram te pulchris ausibus infers,  
SAURI, atq; ingenij das documenta tui.  
Perge ita; sic metam attinges, sic omine fausto  
Haud pretium fama vile, decusq; feres.


Hæc pauca Pereximio atque Politissimo  
Dn. Authori & Respondenti, Amico  
suo conjunctissimo, l. m. q; adposuit.

**Johannes Clausenius.**

Plöna-Holsatus. S. S. Theol.  
stud.

**FINIS.**





Σὺν Θεῷ καὶ πατρὶ!

## DISPUTATIO CHRONOLOGICA

De

# A N N O.]

THESIS I.

### Non una est anni Paronymia,

ἔκθεσις.

S. 1. **N**on immeritò Tempus à Stoicis nuncupatur norma rerum & custodia, veritatis index atq; examen, quia rerum gestarum memoriam ac diuturnitatem posteritati tuetur. Non ergò malè agunt illi, qui temporum rationes conscribere conantur, sed dignum laude aggrediuntur opus. Cum verò Annus temporis egregia & ampla satis sit species, naturam ejus inquirere & ab *Etymologia*, ceu ab *Incunabulis* arcessere altius juvat.

S. 2. *Atejus Capito* à circuitu & rotunditate Annum dictum putat. Nam syllabam an ponebant antiquitus pro circum. Unde ambire, pro circumire, ambesus pro circumesus, ut notat *Macrob. l. 1. Saturn. c. 14. p. m. 218. Servius* ab annulo annum deducit. Parvos enim circulos per deminutivum annulos, magnos verò annos vocabant Veteres, cujus rei testis *Varro l. 5. de L. L.* Annus ergò propriè nihil erit aliud, quàm circulus. Jam veluti circulus omnibus partibus invicem coheret, & in seipsum redit: ita, ut *Virgil. l. 2. Georg. canit,*

*In se sua per vestigia volvitur annus.*

Qua de causa *Aegyptii*, ante literarum usum Hieroglyphicis utentes

Δ 2



tentes, serpentem ore caudam admordentem, pro Symbolo anni pinxerunt.

§. 3. *Græcis* Annus pari modo ἐνιαυτός, quasi ἐν αὐτῷ, in seipso, appellatur. *Ebraeis* תַּשְׁבָּעַבַּב ab iteratione nominatur, quod annus Sole, ad punctum, unde digredi ceperat, redeunte, iteretur.

THESES II.

Annus est maximum Systema dierum, ex motu siderum imprimis & originaliter dependens.

ἐκθεσις.

§. 1. In genere de Anno pauca lubet prælibare antè, quàm in specie ad varios variarum gentium annos nos convertamus. *Systema* dicitur annus, quia ut totum integrale ex multis partibus integrantibus compositus est, quales sunt dies, septimanae, menses, quartæ; ubi posterius semper includit prius, tanquam principiatum suum principium. Nam quartæ constant ex mensibus: menses ex septimanis: Septimanae ex diebus, pulchra gradatione. Est verò *systema non inordinatum, sed ordinatum*, quia omnia in anno suavi inter se quasi concentu & harmonia conspirant, vel ad minimum conspirare debent.

§. 2. *Maximum* dicitur non absolute, ac si eo majus non detur: Lustrum enim ex 4. conflatum est annis, & seculum ex centum: verùm *respectivè*, in ordine ad minores particulas. *Causa efficiens* Anni, καὶ ἐξοχήν sic dicti, *proxima* est motus siderum. Per motum utrumq; intelligimus, tam *motum primum*, qui fit ab ortu in occasum, quàm *secundum*, qui fit ab occasu in ortum S. S. S. πρώτως tamen hunc, δεύτερως & mediatè illum. Nomine *Siderum* in primis digitum intendimus ad Solem & Lunam, quæ ἡλιος καὶ ἡ σελήνη luminaria magna Gen. 1, 16. à Spiritu S. vocantur, scil. πρὸς ὄφθαλμὸν, non πρὸς λογισμὸν, κατὰ δόξαν, non κατὰ τὸ εἶναι.

§. 3. Hæc duo illustria cœli sidera efficiunt nobis motu suo admirabili annum in terris, qui propterea in *Solarem & Lunarem*

rem





rem dispesci solet. Non enim temerè dicuntur hæc ΝΟΥΤΑ  
elegantia paronomasia esse ΝΙΝΝΥ in signa, Gen. 1. 14. non  
tantum *physica*, quæ serenitates & tempestates designent; aut  
*Politica*, quæ Piscatoribus, Hortulanis, Vinitoribus, Lignato-  
ribus & Medicis suarum actionum opportunitatem præfagiant;  
aut *Theologica*, ut sint signa gloriæ Ps. XIX. 6. & beneficentiæ  
divinæ Matt. V. 45. item Christi patientis Luc. XXIII. 44. &  
judicii extremi Luc. XXI. 25. Sed etiam & *primariò Chronologica*,  
ut noctem & diem, annum ejusq; partes constituent.

### THESIS III.

## Dividitur Annus in Astronomicum & Politicum.

ἰκθσσις.

§. 1. *Astronomicus* est certorum Siderum periodus; & distin-  
guitur rursus in *usitatum* & *inusitatum*. Ille est vel Solaris,  
vel Lunaris: Hic reliquarum stellarum sive fixarum, sive errati-  
carum. Nam Astronomi non soli Soli & Lunæ annum suum  
tribuunt, ac si extra & præter hæc sidera aliis suis quoq; propri-  
us annus non competat; sed stellis fixis etiam & cæteris quin-  
que Planetis. Qua de re *Macrob. l. 2. c. 11. in Somn. Scip. p. 131.*  
*Annus non is solus est, quem nunc communis omnium usus appel-  
lat: sed singulorum seu luminum seu stellarum, emenso omnî cæli  
circuitu à certo loco in eundem locum reditus annus suus est. Usi-  
tatos annos peculiariter deinde exponemus: hac vice de inusi-  
tatis solliciti tantum erimus.*

§. 2. *Annus stellarum fixarum* aliàs *annus magnus Platonicus*,  
*annus mundanus*, & *annus sidereus magnus* dicitur, quo stellæ fi-  
xæ in orbe octavo 49000 annis usitatis circiter (nō enim ἀγχι-  
ῶς, sed παχυλῶς hic loquimur) motu proprio Zodiacum per-  
currunt. Singulis enim centum annis uno gradu progrediun-  
tur, ut hodie præcisè in illo puncto non inveniuntur stare in

A 3

cælo





cælo, ubi omnipotens DEI manus eas collocavit; & hæc est causa, cur Equinoctia anticipent, *Alsted. Comp. Phil. p. 800.* Propterea Artifices *Δωδεκατεμύρια* in orbe nostro & *ἀνάσσει* sibi imaginantur, & in globo cælesti character asterisum & imaginem ipsam antecedit.

§. 3. *Annus Planetarum*, præter Solem & Lunam est diversus. ☿ enim citius, quàm ♃ & iste citius, quàm ♄ Zodiacum perambulat. Annus g. ♄ est spatium 30. annorum Solarium; ♃ verò 12. ☿ 2, si aliquot adhuc dies addas. ♀ & ♁ unius anni spatio periodum suam absolvunt. Unde nati *versiculi memoriales*, quos allegat *Schönbornius in Computo Astronomico f. 140.*

*Saturnus dena peragit trieteride cursum,*  
*Signiferum absolvit duodenis Jupiter annis,*  
*Mense quater seno trux circuit astra Gradivus,*  
*Curriculum Titan bisseis mensibus implet,*  
*Omnem mense polum Phæbe nocturna pererrat.*

§. 4. Verum quia usus obtinuit, ut duorum siderum, labentem cælo qui ducunt annum, ratio in temporibus civilibus præcipuè habeatur, quia sc. ea clarius in sensus incurrunt, idcircoque accuratius ut indolem eorum scrutemur, par & legitimum est.

#### THE SIS IV.

**Annus Astronomicus usitatus alius est Solaris,  
alius Lunaris & alius Lunæ-Solaris.**

*ἐπιθεσις.*

§. 1. *Solaris annus* describitur, quod sit spatium temporis, quo ☉ totam Eclipticam motu suo peragrat, ad idem præcisè punctum, unde egressus est, rediens. Quia vero initium & terminum motus solis duplicem constituerunt Artifices, hinc annum solare in *sidereum* & *Tropicum* distinxerunt iterum. *Sidereus* relatus ad stellas fixas, nihil est aliud, quàm temporis spatium, quo sol à stella aliqua fixa octavi orbis vagatus, ad eandem



redie, spatio nempe 365. dieb. 6. hor. 9. 39. secundum *Mestlinum*  
*Epit. Astronom. p. 291.* Ubi pro arbitrio & lubitu quacunque stella  
fixa assumi potest. Nam anni principium  $\Phi\upsilon\sigma\epsilon\iota$  certum locum  
non habet, sed  $\theta\epsilon\sigma\epsilon\iota$  tantummodo, sicut in circulo.

§. 2. *Tropicus annus est*, quo  $\odot$  ab aliquo puncto vel æquinoctia-  
li vel Solstitiali digressus, Zodiaco confecto, ad idem reverti-  
tur. Dicitur *Tropicus* à punctis cæli cardinalibus, quæ *Quartas*  
anni efficiunt, ceu sunt principium  $\gamma$   $\nu$   $\zeta$  &  $\sqcap$  Hæc enim  
Græci  $\tau\rho\pi\kappa\acute{o}\varsigma$  in genere vocant, etsi  $\kappa\alpha\iota$   $\epsilon\lambda\lambda\epsilon\gamma\chi\eta\nu$  deinde id no-  
minis solis solstitii punctis in specie assignant Astronomi, ubi  
 $\odot$  quotannis vel longissimum diem & brevissimam noctem, ut in  
Tropico  $\zeta$ , vel contra brevissimum diem & longissimam no-  
ctem, ut in trop.  $\gamma$  nobis constituit. Supra hac re legi potest *Pe-*  
*tavius in Rationar. Temp. part. 2. p. 2.*

§. 3. Et quidem hic annus Tropicus inæqualis est, prout illud  
Artifices ex diuturnis suis observationibus ad oculum demon-  
strant, quia præcessio Æquinoctiorum non est æqualis. Punctum  
enim Æquinoctii singulis annis, locum, quem priore anno te-  
nebat, antevertit. Ut autem Æquinoctium aliud medium, seu  
æquale est, aliud verum, seu apprens: ita quoq; annus Tropicus,  
qui ab Æquinoctio dependet, vel medius vel verus est.

§. 4. *Annus Lunaris est*, quo  $\odot$  duodecies Soli conjungitur &  
complectitur 12. menses Synodicos h. e. 354. D. 8. H. 48, 38. Men-  
ses verò anni hujus alternatim supputantur, pleni, 30 D. & cavi  
29, D. Caput causæ in eo consistit, quia mensis Lunaris Synodicus,  
proximis duabus Luminarium conjunctionibus interjacens,  
est 29. dieb. 12. hor. 44. hinc ad 12. H. quæ 29. dies ex-  
cedebant, assumantur 12. H. mensis sequentis, quæ collectæ  
integrum faciunt diem. Porro quia 44, quæ 12. horis adhæ-  
rent, negligi non possunt, cum quibusque 30. annis produ-  
cant 11. dies præcisè, idcirco 30. quovis anno hi 11. dies inter-  
calandi erant, ut novilunia mensium initiis hoc pacto restitue-  
rentur.

§. 5. Cum verò annus Solaris communis 365 dierum, exupe-  
ret annum Lunarem 354 d. 11. diebus, hinc ne iste excessus in im-  
mensum cresceret, nec menses hiberni post 16. annos fierent  
æsti-



æstivi, sed ut anni Lunaris ratio cum solari congrueret egregiè, adjecti sunt à computistis ad finem anni Lunaris II. dies, quos ἐπιπληστικὰς, ἀπὸ τῆς ἐπιπλέοντος, quasi *insitios & superadductos*, vocarunt, aut quando epactæ conjunctæ mensem integrum constituebant, eum inseruerunt, & *embolismalem*, ab ἐμβάλλειν, injicere, quasi dicas *injectitium*, dixerunt. Nam hi dies tertium producent dies 32. H. 19. Ex his 30. d. i. e. integer mensis intercalabatur tertio anno, reliqui dies reservabantur ad sequentis anni differentiam, quâ annus solaris superat annum Lunæ, & iterum colligebantur, donec mensis integer ex iis confici posset.

§. 9. Propterea annus Lunaris *vel est Communis, vel Embolimeus. Communis* continet 12. menses Synodicos, neglectis superfluis horis & Epactis, estq; 354. dierum tantum. Embolimeus vero est, in quo ☉ & ☾ ter & decies in Novilunio conjunguntur, estq; 384 dier. Nam 13. mensis Synodicus nascitur ex horis & epactis, quæ supersunt in anno Communi. Talè annum Ebraei vocabant *pregnantem*, eò quod mensem Embolimium in sese gestaret, non aliter ac mulier prægnans, fatum in utero suo gestans.

#### THESIS V.

Politicus annus ex instituto hominum, divinitus nonnunquam approbato, vel initium habet singulare, vel rationem singularem.

ἐκ τῆς 19.

§. 1. Sicut dierum & mensium: ita etiam annorum civilium maxima est diversitas. Nam quia non unus saltem populus sub Sole degit, sed spatiosissimam terræ faciem innumeræ incolunt gentes, hinc factum est, ut qualibet proprium, ut in rebus aliis, ita etiam in ordinandis temporibus haberet modum & ingenium. Proinde alio modo *Judæi*, alio *Græci*, alio *Romani*, alio alii suum annum concinnarunt.

§. 2. Nos missis barbaricis & insulsis barbararum gentium annis, toti in eo occupati erimus, ut eorū tantum ritè exhibeamus annum, qui in ejus constitutione & dispositione vel ad ☉ vel ad

ad





ad C motum respexerunt. Quia vero Judæi inter celebriores gentes antiquissima censetur & per consequens annus cum gente pari passu ambulat, eos in fronte ponamus, meritò oportet.

#### THESIS VI.

Probabile ad minimum est vel nobis esse videtur, Judæorum annos politicos primitus cum dispositione anni solaris quam proximè convenisse: Postea verò omnium fere Autorum consensu utrumque luminare in ordinatione anni attenderunt.

*ἔκθεσις.*

§. 1. Quod ante & circa diluvium Judæi solaribus annis usi sunt, 12. scilicet mensium *τριακονθημέρων*, h. e. 30. d. additis in fine 5. d. *ἐπαγόμενοις*, non obscure tradit coryphæus Chronologorum, *illustriss. Scalig. de E. T. l. 3. p. 151. consentiente D. Behm. Chronol. t. 1. tit. 2. c. 3. p. 10.* Illud verò probat uterque ex historia cataclysmi universalis imprimis, quæ extat Gen. VII. Nam Moses scribit, diluvium cepisse die 17. mensis secundi, vers. II. & 150. dies aquas super terra stetisse vers. 24. deinde decrevisse c. VIII. vers. 3. quos cum 17. die mensis septimi finitos esse, testatur vers. 4. Ergò à 17. d. mensis secundi ad 17. septimi transierunt 150 dies, qui per 30. divisi, quinque menses *τριακονθημέρας* conficiunt. Si jam quinque singulis mensibus triginta dies adscribuntur, reliquos septem tot etiam habuisse dies, certum & indubitatum est, ut huic demonstrationi quidquid *Endymionum* est & *προσελήνων Arcadum*, refragari non possit, verba sunt acutissimi *Scalig. l. supra laudato.*

§. 2. Deinde idem ex eo firmiter colligi potest, quod annus solaris Chaldæis & Ægyptiis jam olim in usu fuerit, teste *Herodoto in Euterpe.* Horum verò Præceptores & Magistri Patriarchæ erant. Quidquid enim bonarum artium Ægyptii possidebant, illud omne à Josepho, Jacobi filio ejusdemq; necessariis hauserunt. Et sic de domo in domum, de gente in gentem tra-

dita





dica est, ut tota Encyclopædia, ita quoque Chronologia. Imò, quia Abraham patriâ Chaldaeus extitit, cur formam anni patrii non retineret & per filios suos in seram posteritatem propagaret?

§. 3. Ex his facile videre est, quam infantissima & ridicula sit opinio eorum, qui sentiunt, apud Judæos menstruos annos obtinuisse. Enimvero hoc nullatenus consistere potest. Nam sequeretur, quod nullus ex sanctis Patriarchis annum 70. supervixerit. Imò ipse Mathusalem, qui anno sissimus & μακροβιώτατος omnium in terris mortalium fuit, & 969. annos superavit, hoc pacto 79. tantum annos in vivis fuisset. Hoc verò admirandum adeo usque non esset, cum etiamnum in hac mundi senecta multi adhuc hanc ætatem attingant, imò nonnunquam ad centesimum usque annum ascendant. Porro illud elicitur ex absurdo hoc absurdum, quod post annum 12. generare inceperint Patriarchæ. Quis vero adeo amens & insanus foret, ut huic paradoxo calculum suum addere velle?

§. 4. Post egressum Judæorum ex Ægypto anni Luna-Solares ceperunt in usu esse. Nam à novilunio, quod æquinoctium vernalis proxime antecedit, initium anni sumebant, id quod D. Bebm. l. 1. Chronol. t. 3. c. 2. p. 28. vel quatuor statuminat fundamentis. Errat ergò Petavius in Ration. Temp. part. 2. l. 1. c. 6. p. 20. qui Judæos post Alexandri M. demum tempora, ubi Seleucidarum jugum acceperunt, Lunaribus annis usos esse existimat. Nos melius rem probare haut possumus, quam si menses Ebræorum consideremus, qui procul omni dubio Lunares Synodici fuerunt. Jam verò quales sunt partes, tale ex iis surgit totum, quod probatum est axioma in Philosophia.

§. 5. Mensium apud Ebræos nomina, à Chaldaeis mutuata, ordo, quantitas & qualitas ita sese habebat:

Autumnales	{ Tisri 30. } { Marchesvan 29. } { Casleu 30. }	} Vernales	{ Nisan 30. } { Ijar. 29. } { Sivan 30. }
Hiemales.	{ Thebeth 29. } { Schebath 30. } { Adar. 29. }	} Æstivales.	{ Tamutz 29. } { Ab 30. } { Elul, 29. }

ubi notandum

§. 5. Men-



1. Quod ista nomina omnia Judæis post captivitatem Baby-  
lonicam demum usitata fuerint; Nam ante eam nonnulli men-  
ses aliis gaudebant nominibus: scil. *Nisan* prius *Abib*, *Ijar* *Sif*, *Ti-  
fri* *Ethanim* & *Marchesvan* *Bul* vocari tunc consuevit. De  
cæterorū mensium nominibus nihil certū constat.

2. Quod menses hi *in plenos*, qui constant 30. d. & *cavos*, 29.  
d. distincti fuerint; cuius alternationis causam introduxerunt  
12. horæ, 29. diebus in mense Lunari annexæ. Hæ enim bis in u-  
su vulgari neglectæ, 30. diem absolvunt.

3. Quod *Nisan* caput & initium anni Ecclesiastici sub æqui-  
noctio verno fuerit, propterea etiam Ex. XII. 2. וְרֵאשִׁית חֹדֶשׁ  
& alias sæpè primus mensis appellatur. In eo enim ex Ægypto Ju-  
dæos potentissimè DEI manus eduxit & paschatis celebrationē  
severissimè mandavit. *Tisri* verè est principiū anni civilis seu na-  
turalis, & natalis totius mundi.

4. Quod omnes illi omnium mensium dies in unam summā  
congregati & redacti, producant 354 dies tantū, cum tamè annus  
agnoscat 365 dies completos. Hinc 11. dies deficientes tertio ut  
plurimū annō ad mensem intercalare conjiciebant, qui insertus  
12. prioribus, & mensem *Schebath* proximè sequens, *Adar* prior  
salutabatur. Intercalarunt verò nunquam Judæi in anno Sabba-  
thico, neque circa *Nisan* aut *Tisri*, ne corrumpere vindemi-  
am, vel cæterorum fructuum fructum.

5. Quod menstruū spatium in 4. hebdomadas divisum sit, par-  
tim quia septimo quolibet die sabbathum observandum erat,  
partim quia Luna singulis 7. diebus novam Φάσιν representa-  
bat, & jam μοιραϊδης, jam διχότομη, jam ἀμφικυρτος aut παρα-  
σίλην apparebat.

6. Quod è sententia præceptoris nostri *Dn. Franckenbergeri*  
menses suos Judæi, florente eorū Republica, non à prima Φάσιν,  
quæ 2. vel 3. die demum post conjunctionem sæpe nobis con-  
tingit, sed ab ipsa neomenia numerare inceperint, ut primus  
mensis cujusque dies incidere in novilunium: medius in ple-  
nilunium; ex quo fiebat, ut dies quisque mensis ætatem Lunæ  
significaret. Et si enim ignobile & indoctum vulgus inter Israe-  
litas



litas tempus hoc, quo duo principalia sidera ☉ & ☾ conjunguntur, exacte scire non potuit Moses tamen, omni Ægyptiorum sapientia imbutus & instructus Act. VII. 22. hac in re Levitas informavit, quod probabile est, qui motu Lunæ ritè observatò, festivitates populo publicè indixerunt. Errat ergo *Wilhelmus Langius*, qui l. 1. de *Annis Christi* cap. 6. p. III. mordicus contrarium defendit, Judæos nimirum pro inventione neomeniarum ad Lunæ *Φάση* in oculos in currentem semper respexisse.

§. 6. Superest, ut de *Anno Sabbathico* & *Jobeleo* aliquid dicamus. *Sabbathicus annus* vocatur Ebræis *שַׁבְּתוֹן* Deut. xv. versu 1. annus quietis vel dimissionis, tum ratione agriculturæ, quæ intermittebatur, ut novum terra vigorem resumeret, nec assiduo aratro steriles ceret, juxta illud *Ovid. l. 5. de Ponto*

*Quæ nunquam vacuo solita est cessare novale,  
Fructibus assiduis lassæ senescit humus.*

tum ratione liberæ mancipiorum manumissionis. Nam quoties cyclus his singulis 7. annis revolvebatur, servi servæque libertate donabantur, ut prolixè sacer codex monet Ex. XXI. 2. Deut. XV. 12. Horum vero annorum initium semper ab Autumno deductum est, unde & agrorum cultus & popularis Judæorum annus suum capit exordium. 2. *שַׁבְּתוֹן שְׁנָתוֹ שִׁבְעָה* Lev. XXV. 8. *septem septimana annorum*. *Sieben Jahr wochen*, Luth. reddidit. Ut enim septimana continet 7. dies: ita annus sabbathicus septem annos simplices. A Chronologis dicitur hebdomas *ἑβδομάτης* *Septennalis*, ad differentiam hebdomadis *ἑπτημέρης*.

§. 7. Pulchrum verò artificium est, scire quotus in quocunque anno vulgari annus sit in cyclo sabbathico. Methodus & processus rei talis est. Dato nempe *Pi. Jæ* annorum, ratione prioris dodrantis consideratorum, numero, addantur 6. Summa per 7. dividatur, & residuum semper denotat annum sabbathicum. Si autem numerus præcisè tollitur, & nihil remanet, tunc hoc certum est indicium, currentem annum esse sabbatharium. Sic, ut exemplo rem illustremus, si præsentis *Pi Jæ* anno 6367 adhuc 6 ad-

do





do emergunt inde 6773. qui numeri per 7. ceu divisorem divisi,  
quotientem eliciunt 97. & 3. adhuc relinqvunt. Dico ergo annū  
hunc 1654. esse tertium post celebratum annum Sabbathicum,  
sed respectu priorum 6. mensium. Vel si cyclus ☉ anni Pi Jæ dati  
cognitus sit, notetur annos septenarios cycli ☉ annos esse sep-  
timos hebdomadis: ideoq; quotus annus fuerit post proximum  
septenariū cycli ☉, is est primus annus hebdomadis legalis. Ut  
si exhibeatur in anno præsentis cyclus ☉ II. qui est quartus annus  
post septenarium, dico quartum quoque annum hebdomadis  
legalis esse annum P. Jul. hoc cyclo gaudentem. Verum ne quis  
calculum sibi utrinque non respondere, prætendat, posterius  
in respectu ad tres menses sequentes intelligendum esse dico, &  
hoc modo res salva & indubia perstat,

§. 8. Quoties septem hebdomades annorum seu septies septē  
anni ad finem decurrebant, toties *annus Jobelæus* celebrari à  
Judæis debebat, hinc cyclus Jobelæus satis decantatus ortum  
habuit suum, qui nihil est aliud, quam 7. cyclorum sabbathico-  
rum seu 49. annorum systema. Dicitur verò annus hic non *Ju-  
bileus*, ut *Alsted.* multiq; alii scribunt, quasi à *יובל* h. e. fluxu,  
vectione & deductione derivetur, quod nos quasi vehat & dirigat  
in temporum serie, ut refert *Alsted. Thes. Chron. p. 87.* Vel à *Jubilo*  
& gaudio fervorū manumissorum, que sensu Pontificii annum  
1650 ein Jubel Jahr vocarūt; sed *Jobelæus* à *יובל* aries, quia cor-  
nuatiectino in tota Palæstina intimabatur. Appellatur etiam *Es.  
LXI. 2.* *שנת רצון* *annus voluntatis seu acceptabilis* ratione figu-  
ræ, quam habebat, tam *Ecclesiæ militantis* tempore N. T. ubi  
sonus Evangelii non tantum à Christo, in totam Judæam, sed  
etiā ab Apostolis, tanquā tubis spiritus S. clarissimis & potentis-  
simis, in totum orbem terrarum longe lateq; diffusus est: quam  
*Ecclesiæ triumphantis* in cælesti Canaan, ubi veræ libertatis &  
suavisimæ quietis annus in omnem æternitatem durabit. Ty-  
picum hunc usum *Dn. D. Walther.* pulchrè declarat & perse-  
quitur in *Spong. Mosaica ad L. Lev. XXV. 8. p. 848.*

§. 9. Duo autem hoc loco disquiramus, oportet. *Unum de ter-  
mino à quo*, seu vero principio annorum Jobelæorum ratione  
Mo-



Mosaicae sanctionis. Alterum, quod controversi in utramque partem solet, est, quo anno annus Jobelaus celebratus sit, num. 50. an vero 49?

§. 10. Quod prius *quesitum* concernit, abeunt hic Chronologi in divortia. *Codomannus* & *Temporarius* initium ab eo sumunt tempore, quo Israelitæ in promissam terram, melle & lacte fluidam, introgressi sunt: *Scaliger* verò, *Calvisius* & alii septennio post, post occupatam, divisam & primò cultam terram, anno scilicet 46. post exodum, Jos. XIV. 10. Nos celebratissimum *Scaligerum* cum *D. Behmio Chronol. p. 34.* sequimur, qui anno κληρονομίας seu distributionis terræ Canaan per sortem, annos Jobelaos æque ac Sabbathicos inchoant. Nam Lev. XXV. 2. DEUS per terram Canaan, non ejus partem aliquam, quæ forsitan cis Jordanem tribui Ruben, Gad & dimidiæ Manassis precario delegata erat, intelligit, sed totam terram, & præcipue terram trans Jordanem fluvium, quæ πρώτως & ἐξοχικῶς seu principaliter terra Canaan nominatur, cum plenaria ejus inhabitatione. Ea v. ante factam à Josua κληρονομίαν universalem inhabitari non potuit, cum nemini adhuc fixa & propria sedes definita & assignata esset. Ex his relinquitur, quod distributio illa totalis Caput & causa inhabitationis actualis extiterit: & quod non ante Mosis mortem, qui in regnum Sihon, Basan & partem terræ Moabiticæ venit, sed post ejus beatissima fata anni Jobelæi numerandi sint, postquam ipsa κληρονομία jam facta est, cui uterque character sacer competit. Rectissime ergo anni Jobelæi exordium ad annum 46: post Exodum κληρονομικὸν alligamus, cum è sacris literis idem evidenter evinci & demonstrari possit. Notari hic etiam debet, quod anni Jobelæi Mosaici non turbaverint Jobelaos mundi, sed quod mira & jucunda inter utrosque consonantia vigeat. Illud *Alsted. Thef. Chronol. p. 87.* calculo certo ostendit, dum ii. Jobelaos à creatione totius universi ad primum Jobelæum Mosis numerat: ab hoc vero XXI. usque ad instaurationem templi secundi Serubabelis, & X. ab ejus instauratione usque ad ejus πανολεθρον, ubi sanditus destructū & excisum est. Fides sit penes Autorem: interim non temere hic miratur & stupefcit animus,



mus, quod sapientissimus DEUS tam ordinatè, tantaque pro-  
portione in omnibus rebus ludat nobiscum & tam Arithmeti-  
cè tempus observet, ut non malè Plato DEum absolutissimum  
optimumque vocaverit Mathematicum, qui omnia certo pon-  
dere, mensura & numero componat.

§. 11. Circa alterum problema communiter assumunt annum  
50, & probare eum conantur, ne frustra & gratis id asserere vi-  
deantur, *partim ex Lev. 25 v. 8. & 10.* ubi manifeste annus Jobelæ-  
us quinquagesimus dicitur: *partim ex ratione.* Si enim, argu-  
mentantur, annus Jobelæus est 49, perpetuò in annum Sabba-  
thicum recurreret, & sic frustra sacra Scriptura vetaret feri &  
meti in anno Jobelæo, cù satis fuisset, id de anno 7. præcepisse.

§. 12. Verum nos à parte *Scalig. & Calvis.* discedere hinc nolu-  
mus, qui pro 49. anno, velut pro aris & focus, dimicant, cum  
autoritate *B. Gerhardi* aliorumque nostratium Theologorum  
consensu munita hæsententia sit. Nam si annus Jobelæus ab  
anno septimo sabbathario, qui est 49. diversus esset, sequeretur  
quod duo quietis ac feriatiōis anni connectendi fuissent, quia  
49 est juxta illos sabbathicus: Jobelæus v. statim & immediatè  
sequitur. Sed perdifficilis tam numeroso magnoque populo  
fuisset alimonia, si ab agricultura, satione & messe duos con-  
tinuos annos & quod excurrit (neque enim anno sacro serere  
licebat, hinc neque anno sequenti poterant metere) vacavissent.  
2. quod anni sabbathici ratione annorum mundi turbarentur &  
sede sua genuina dimoverentur. Hoc vero quid est aliud, quam  
DEUM, ordinis autorem, *ἀταξίας* & insipientiæ insimulare?  
Porro extra dubium est, quod numerus septenarius sacer & perfe-  
ctissimus sit tum in sacris, tum in profanis, ut de vi numeri 7.  
*Agell. l. 3 c. 10.* multa habet; eum v. sicut alias, ita & hac vice ob-  
servare voluit Temporum autor & pater. Nolumus tamen po-  
sterius argumentorum genus in fronte aciei literariæ stare.

§. 13. Quod locum in contrarium adductum attinet, no-  
tandum est, moris apud Judæos fuisse, ut inclusivè supputa-  
rent, incluso videlicet & connumerato antecedente vel die vel  
anno. Hoc modo etiam nos vulgò dicimus, quantum quemvis  
annum esse bissextilem, septimanam esse spatium octidui &c.



Nec istud insolens & novum in Scriptura est. Nam Luc. II. 21, non de die 8. sed 7, intelligi debet. Confer parallela loca Act. II. 1, Jer. XXXIV. 14. De qua locutionis specie *D. Glafs. Philol. S. l. 3. tr. 6. p. m. 544.* Pariter olympiades quinquennio definiuntur, quum tamē non nisi 4. solidos annos contineant. Ita conceditur ambabus manibus, annum Jobelæum esse annum quinquagesimum, cum hac scilicet interpretatione & conditione, ut terminus à quo præcedens annus Jobelæus inclusus existat. Alterum dubium non adeo magni momenti est.

§. 14. Methodus annum Jobelæum inveniendi ex dato Pi Iæ anno quocunque, ratione scilicet prioris dodrantis spectato, talis est. Numero Pi Iæ annorum dato, addantur 20. Aggregatum per 49 dividatur & residuum quæsitum in cyclo Jobelæo annum exhibebit. Si v. nullus residuus est numerus, tunc præfens annus, Jobelæus indubitato erit. Sic si ad annum Pi Iæ currentē 6367 additur 20. exsurgunt inde 6387. Quod aggregatū per 49 divisum, quotientem, facta operatione, 130. & 17. adhuc relinquit. Dico ergo hunc annum esse 17. in cyclo Jobelæo.

§. 15. Alii alia adhuc methodo circa hoc negotium utuntur. Nam pro anno Sabbathico inveniēdo, annum Mundi per 7. dividunt: & si numerus ille præcisè tollitur, annus currens est Sabbathicus. Quod si etiam velint scire, an ille annus Sabbathicus simul sit Jobelæus, dividunt numerum annorum mundi per 49, & si exactè ille absorbetur, tunc præfens annus erit Jobelæus: sin v. minus, quotus tum in cyclo suo sit, facilè dijudicare ex residuo quivis poterit.

§. 16. Non prætereundum etiam est, quomodo quis dato quovis Pi Iudaicæ anno, annū in Per. Ia respondentem investigare, aut contra, vice versa procedere debeat. Cum v. penes Chronologos infallibile & irrefragabile sit, primum annum Iudaicum, ratione Tifri sumptum, connectendum fuisse cum anno Pi Iæ 953 currente: ratione Nisan autem & aliorum mensium cum anno Pi Iæ 954: hinc necessario fluit, quod ad datum quemvis Pi Iudaicæ annum ratione Tifri 952 anni, ratione Nisan verò 953 anni sint addendi, quo habeatur annus Pi Iæ parallelus. Et e contra, si detur annus Pi Iæ, & quæratur Iudaicus respondens, tunc eadem



eadem summa è Pi Iæ anno dato subtrahenda est. Residuum enim annum Iudaicum correspondentem exhibebit.

§ 17. Annotetur hic, *ὡς ἐν τῷ ἀπόδω* Iudæos hodie usitatissime omittere millenarios & per abbreviationem scribere *קלפ* h. e. si exponatur per *תורת ישיב* & initiales literas, *קטן לפרט* secundum supputationem minorem. Annos ergo illos in annos Christi quis commutabit; si 12 40 annos addiderit. Hinc vulgo quoq; hanc connexionis notam tradunt; quod postremi numeri infra denarium signati in annis tam Iudæorum, quam Christianorum concurrant. Et hæc de anno Iudaico impræsentiarum sufficiant.

Th. VII. Ratio anni Græcorum non semper una & eadem fuit, propter variam & perplexam variis temporibus factam intercalationem.

*ἐκθεσις.*

§. 1. Varro tria temporis intervalla ponit. Primum vocat *ἀ-δελον*, incertum sc. ethnicis, à creatione mundi usq; ad diluviū; Secundū *μυθικόν*, fabulosum, à diluvio ad initium Olympiadum, quorsum nominum impositionē, quæ hodiernō die adhuc obtinet, Constellationum, referunt; Tertiū *ισορικόν*, inde à prima Olympiade. Unde liquet, quod ante institutos ludos Olympiadicos anni descriptio apud Græcos & cætera maximis tenebris involuta fuerint, eò quod ad certum & stabilem Epocham non applicarentur. Dicendum g. est, quid & quales illi agones fuerint.

§. 2. *Olympias* aliàs *Tetraeteris*, est spatium 4. solidorum annorum. Latini vōcant Lustrum. Etsi enim Poëtæ lustro quinq; annos tribuere videantur, & Olympiadem interdum *πεντατέρηδα* appellant, ut *Ovid.* dum ait:

-- *Quinquennis Olympias æta est:*

id tamen cum grāno salis accipi debet, quod nimirum unaquæque Olympias post 4. annos completos & 5. ineunte celebrata fuerit:

§. 3. Dicta est *Olympias* ab *Olympia*, oppido Elidis circa Isthmum, in honorem Jovis Olympii, ut essent ibi Comitia totius Græ-



Græciæ, atq; certamina & spectacula omnium generū, propo-  
sitæ præmiis, obirent, simulq; de anni forma deliberaretur. Un-  
de qui in agonibus lucta, pugna, saltu, cursu & disco prævalebat  
& πένταθλος h. e. *Quinquercio* factus erat, hoc dignitatis meruit,  
ut ab ejus nomine, aureis literis in Pergamenum ad æternam  
memoriã scripto, Olympias illa vocaretur. Juvenibus n. Judices,  
ἐλλανοδικας dictos, præfecerunt Græciæ Duces, qui juramentò  
obstricti erant, quod omnia athletæ requisita adolefcētes obser-  
varint.

§. 4. Instituit hosce ludos *Hercules*: at post mortem ejus ul-  
tra 400 annos intermissos, *Iphitus Praxonida filius*, iterum eos  
restauravit & minimè interrupta serie, subsequētib; annis cō-  
tinuavit. Hinc ab eo *Iphitei* dicuntur, & *era Iphiti* originem suã  
obtinēt. Celebrabātur a. Olympiadicæ certamina semper in ple-  
nilunio, circa solstitium æstivum, d. 15. Hecatombæonis, primi  
mensis Atheniensium, qui Junio nostro ferè respondet. Non ve-  
rò putare quis debet, quod ipsa *Olympias*, & *annus Olympiadicus*  
sint Synonyma, nam longè & toto cœlo inter se differunt. Illa  
enim est spaciū 4. annorū absolutorum, hic autem certus est &  
definitus alicujus Olympiadis annus.

§. 5. Etli verò Græci felix Olympiadum auspiciū obtinebant,  
non tamen inter se conveniebant prorsus. Nam alii statim à ☉  
& ☾ coitu Tetraëteridis suæ annum exordiebantur: alii biduū  
addēbant adhuc, Φάσιν intuentes: alii à plenilunio, quando  
nimirum ☾ totam partē à Sole illuminatam obvertit terræ. At-  
tamen anno Lunæ-Solari eos usos esse & annuatim, momentis  
Æquinoctiorum observatis, juxta illa Lunares periodos in mē-  
ses distribuissē, haut facillè quisquam ambiget. Consultantibus  
n. Græcis quomodo ritè sacra obirent, responsum est ab oracu-  
lo, oportere eos κατὰ τὰ πατρῶα sacrificare. Cum quaerent  
ulterius, quid hoc sibi velit, secundum mores ritusq; paternos  
Sacra obire, responsum est iterum, κατὰ τρία. Quia v. hoc po-  
sterius æquè obscurum, ac prius, periti Hierophantæ, quos βα-  
σίλας nuncupant, interpretabantur esse hoc sacrificare κατ' ἐ-  
νιαυτὸς, κατὰ μῆνας & καθ' ἡμέρας. Quo g. oraculi arbitrio ex-  
asse satisfaceret, non ☉ is tantum, cujus quidem annus, non  
v. men-



v. mensis, diesq; solitariè est: non  $\Delta$  tantùm, cuius quidem mensis, non v. annus & dies solitariè est, sed utriusque sideris motus sollicitè observandus erat. Ideoque talis anni forma assumenda, quæ respectu mensium, Lunaris quidem esset, certis tamè circuitibus metas  $\odot$ lis consequeretur.

§. 6. His præsuppositis, sciendum est, quo pacto quilibet annus Iphiteus, ab antiquis Historicis positus, connecti debeat cum anno ab initio Olympiadice Epochæ elapso. Olympiades g. omnes, ante datam Olympiadem, per 4. multiplicabis, tum annum 1. 2. vel 3, addes & habebis annos Olympiadicos seorsim numeratos ab initio hujus æræ. Quod si verò scire ayes, quoto cuiusque Olympiadis anno tempus agatur, si tempus datum cadit ante solstitium æstivum, ad annum Epochæ Christianæ currentem adde 775: à M. C. Subtrahe 3174: Aggregatum divide per 4, quotus dabit olympiades completas. Residuum autem monstrabit annum currentem Olympiadis currentis. Ex. g. huic anno 1654. addo 775, nascuntur 2429. Divido hæc per 4, provenit Olympias 606 & quidem 3 supermanent. Quod indicium est, futuro anno, instante solstitio exhibenda fuisse apud Græcos spectacula Olympiadicæ. Si a. tempus datum cadit post solstitium, tunc ad annum Christianum præsentem adde 775. cum semisse, & parem operationem, qualem antea, institue, resque probata & evidens erit.

§. 7. Porro cum partim ex *Eusebii* testimonio, *Chronic. l. 2. p. m. 125.* annum excidii primi Hierosolymitani secundum completum olympiadis 47. fuisse, asserentis, partim ex aliis argumentis, & præcipuè ex Eclipsib9 constet, annum primum olympiadicum cepisse Anno Pi Iæ 3938, dimidia sui parte elapso in æstate, sequitur ultro, annis Olympiadicis datis ad dandos esse 3937. annos, tunc summa annorum Pi Iæ annum respondentem producet & exhibebit. Et contra. Sic, ut exemplo res tota magis magisque inclarescat, & facilior evadat, *Phlego*, Olympiadum egregius supputator l. 13. cit. *Euseb. l. 2. p. 158.* dicit, Eclipsin illam universalem & Supernaturalè, tempore passionis Christi, accidisse in novilunio Anno 4. olymp. 202. Multiplico g. juxta §. 6. hæc 202, Olympiadas per 4 & proveniunt 804: Huic

C

sum-





summæ addo 4. sunt 808. Dico proinde quod 808 anno Olympiadicæ horribilis & admirabilis illa Eclips. ☉ facta sit. porro annis hisce addo 3637, emergunt 4745. Et hic est annus Pilæ parallelus.

§. 8. Melius vero totum cognosci haut potest quàm ex suis quibus conflatum est, partibus. Relata enim mutuò & per reflectionem quasi declarant se juxta ac definiunt. *Menses ergò annorum Olympiadicorum* contemplari juvat. Illi verò non alternim pleni & cavi, ut menses Judæorum, erant, sed omnes ex 30. diebus componebantur. Hoc *Cleobuli* ænigma testatur apud *Scalig.* de E. T. l. 1. p. 15.

Ἐἷς ὁ πατήρ, παῖδες δὲ δώδεκα· ἴων δὲ ἑκάστω  
 Παῖδες τριήκοντα διάνδιχα εἶδη· ἔχουσαι  
 αἱ μὲν λευκὰ ἕσταν ἰδέειν. αἱ δ' αὖτε μέλαινα.  
 Ἀθάνατοι δὲ τε ἔσαι δ' ἀποφθίνουσιν ἅπασαι.  
 Est Genitor, natos bissex qui possidet unus,  
 Cuiq; horum gnatae tricena dispare forma:  
 He niveæ apparent, fuscis sed vultibus illæ.  
 Sunt immortales omnes, moriuntur ἔσ' omnes.

§. 9. *Menses Attici* talem ordinem & dispositionem obtinebant:

{	ἑκατομβαιῶν	}	θερμοὶ μῆνες.	{	Γαμιλιῶν	{	
{	Μελαγεινεῶν	}		{	Ἀντεσηριῶν	{	χειμερινοί.
{	Βοηδρομιῶν	}		{	Ελαφηβολιῶν	{	
{	Πυανεσιῶν	}		{	Μυνοχιῶν	{	
{	Μαιμακτηριῶν	}	ῥοπορινοί.	{	Θαργηλιῶν	{	ἑσπερινοί
{	Προσειδεῶν	}		{	Σκιρροφοριῶν	{	

§. 10. Ubi notandum venit, quod diebus è mensibus anni collectis post mensem Posideonem duos dies addiderint, quos *καεχες* vocabant, ideò, quia per b. duum hoc Resp. Atheniensis sine Magistratibus erat & tota civitas novis Magistratibus creantis vacabat. Præcedentes a. 360 dies in anno communi & 390. dies in anno embolificali in 10. vel 11. *προταρείας* distribuebant, in quarum unaquavis, 36. dies continente, unus semper *προταρής* h. e. Atticæ Urbis præfectus per 36. dies ad imperii clavum sedebat, & regnabat.

§. 11



§. 11. Dividebant etiam Græci menses suos τριακονθήμερους in tres Decades. Primam vocabant ἰσαμένους μηνός, h. e. Decadem mensis Hecatombzonis &c. stantis vel incipientis: Primum v. diem primæ Decadis ὄγδοον μηνίαν nominabant, secundum δευτέραν ἰσαμένους & sic consequenter. Secundam appellabant Decadem μεσοῦν h. e. 10. dies mensis medii. Primum verò diem hujus secundæ Decadis h. e. 11. diem ejusq; mensis salutabant πρώτην μεσοῦν, 12. d. δευτέραν μεσοῦν, usq; ad 20. diem illius mensis. Tertia Decas erat ejusq; mensis φθίνοντ ἢ λήγοντ, deficientis & exeuntis. Hinc 21. d. prima dies φθίνοντ ἢ οὐδὲν retrogrado δεκάτη φθίνοντ ἢ ἠνuncupabatur, & ita porro, usque dum ad ultimam diem perventum erat, quæ εἴη καὶ νέα, vetus & nova, scilicet Luna audiebat.

§. 12. Præter hanc anni Græcanici formam alia annorum Periodi & Epochæ tractu temporis observari ceperunt, quales sunt *Era Metonica*, *Calippica* & *Hipparchica*. De quibus, sed laconicè & paucis, nunc agendum restat.

§. 13. *Meton*, *Pausania* filius, vir eximia in Astronomia scientiæ, circa 86. Olymp. tempore belli Peloponnesiaci à 13. ultimi mensis apud Atticos, quo die novilunium Solstitiale æstivum cepit, cyclum Ἐννεαδέκαέτηρον, i. e. decem-novennalem proposuit, qui vulgò annus magnus Metonis, nunc Romanus dici consuevit, *Calvis. op Chronol. p. m 85*. Nam Romani eum in anno Juliano aureis literis notabant, hisque novas Lunas signabāt. Hinc hodie adhuc *aureus numerus* vocatur, vel ob hanc causam, quæ jam dicta, vel ob suum usum quo pollet, insignem, vel etiam, quia olim Archiepiscopus Alexandrinus cyclum hunc, in tabula argentea aureis literis scriptum, die nativitatis Messie Archiepiscopo Romano mittebat Romam. Enneadecaeteris hæc Metonica comprehendit in se 235. Lunationes, Si 7. annumerentur menses ἐμβόλιμοι. Intra hoc spatium novilunia & plenilunia ad eundem anni Solaris diem reverti & revolvi, monstravit. Etenim 235. menses synodici continent 6939 dies, horas 16. 34. At anni ☉ additō, ubi decet, diei quadrante, itidem 6939 d. H. 18. complectuntur. Ex quibus manifestum evadit, cyclū Metonis ab annis ☉ 19., una tantum hora & paucis insuper scrupulis deficere.



§. 14. *Calippus* postea, cum videret, q[uod] quadrantem integrum *Metoni* supra rationes solis abundare in exitu *Enneadecaeteridis*, atque hinc progressu tēporis magnā turbationē in anni statu consequi, animum ad emendationem appulit, rem pulcherrimam aggressus, ut non minor illi laus ex castigatione, quam *Metoni* ex inventione accesserit, uti *Scalig.* l. 2. de E. T. p. 59. loquitur. Hinc aliam in aestate an. 2. *Olymp.* 112. promulgavit aetatem, centum fere annis post *Metonem*, in honorem *Alexandri M.* cum *Darium Codomannum*, ultimum *Perlarum Regem*, ad *Gaugamela* devicerat, unde etiam *Alexandrea* haec *Epocha* prius, postea tamen ab autore suo *Calippica* constanter dicta est. Exstruxit eam *Calippus* ex 4. cyclis *Metonicis*, ut esset annorum 76, quibus exactis, *Aequinoctia & Solstitia* pristinas sedes exacte repetitura esse, putabat, quia cyclus hic 27759 dies continet, quot scilicet continent 76. anni Solares. De Periodo ista vid. *D. Behm.* l. 2. *Chronol.* tit. 1. c. 6. p. 92. & *Scaliger.* l. supra laudato.

§. 12. *Hipparchus Rhodius* tandem, quia intellexit, annum solarem non praecise quadrantem diei, seu 6. horas ultra 365. d. continere, veluti quidem *Calippus* arbitrabatur, & quia post duas periodos *Calippicas* seu post 152. annos plus, quam unus dies abundaret, ideoque 150. annis ante *χριστογονίαν* *Calippicum* cyclum emendavit & ex 16. *Metonis* vel 4. periodis *Calippicis*, h. e. ex 304. annis unam conflavit, qua elapsa unus dies de quarta *Callippica* omitteretur. Sed antequam cyclus *Callippicus* quater, aut *Hipparchicus* semel elaberetur & ad finem decurreret, *J. Caesar*, quartae *Monarchiae* quartus *Monarcha*, *Calendarium Julianum* in orbem inexit & omnes anni rationes & errores emendavit, sicut superiori seculo Anno 1582 *Gregor. XIII.* *Papa Julianum* iterum correxit, 10. dies omittendo.

Th. VIII. Arabes & Turcae habent annos in usu vulgari mere-Lunares, quos proprio nomine *Hegirae* appellant.

ἔκθεσις.

§. 1. Nominatur *Aera* haec *Hegirae* vel ab 𐤀𐤁𐤁 ancilla *Abrahami*, ut nonnulli antumant, vel quod probabilius aliis est, a 𐤀𐤁𐤁 fu-

ga,



ga, seu exilio, propterea, quod Muhammedes, pseudopropheta fraudulentissimus, hostibus propter legem Alcorani latam invalescentibus, quadam nocte fugere cogeretur Mechâ, oppido Arabiæ, ubi deinde, postquam impiam & sceleratam efflavit animam, in arca ferrea reconditus, in aere vi magnetis pendet, ad quod Turcæ quotannis peregrinationes instituunt, non aliter, ac Pontifici in Palæstinam vel Compostellam. Voluit verò Muhammedes Epocham suam eadem appellatione cohonestare, quâ Christiani suam à Diocletiano. Nam Æra Diocletiani est æra martyrii, ita Hegira est *διωγμὸς ὑπὲρ τῆς θρησκείας*, martyrium pro religione. *Alsted. Thef. Chronol. p. m. 41.*

§. 2. Incipit æra hæc ab A. C. 622. à nocte, quæ secuta est diem 15. Jul. feria 6. ineunte, quæ est dies Veneris, quem etiam, uti nos Dominicum, & Judæi sabbathum sacrum habent, feriantur solenniter in hujus historiæ nunquã intermorituræ nemoriam. Uruntur Æra hæc Annales Turcici, Alcoranus & epistolæ Saracenicæ.

§. 5. Constat Epocham annorum Hegiræ annis Lunaribus, & menses alternatim plenos & cavos à novilunio inchoat. Quia verò Epactas non adjiciunt eadem utentes, hinc fit, ut fixum & perpétuum anni principium non habeant, sed intra 32. annos singuli menses per singula 4. anni tempora divagentur, propter epactas nimirum neglectas. Tantum de Æra Turcica.

TH. IX. Anni ante Julium Cæsarem alia fuit Romuli, alia Numæ Pompilii correctio.

*ἐκθεσις.*

§. 1. Romulus, Romæ autor & fundator, circa A. M. 3202. & Olymp. 8. annum suum instituit, 304. tantum dierum & mensium 10. quos inter primum Martium, Marti genitori suo dicavit. Hinc Ovid. *Fast. 1.*

*Martis primus erat mensis: Venerisque secundus,*

*Hec generis Princeps, ipsius ille Pater.*

Et ab eo quintus, Quintilis, sextus Sextilis dicebatur: ultimus v. mensis December erat. Ex illis Martius, Majus & October 31. d. obtinebant: reliqui 30. Quia verò talis anni constitutio nec solis, nec Lunæ motui conveniebat, ideoque post 10. mensem tan-

C 3

tum





eum dierum numerum sine mensis appellatione elabi patiebantur, quantum adhuc sol desiderabat, cursum annive larium completurus. Qua propter *Numa*, Romuli in regimine successor, duos menses ad 10. Romuleos adjecit, Januariam & Februariam, & cum Romulus initium anni a vere auspiciatus esset, ipse a Bruma illius primordia fecit, quem morem etiamnum nos firmiter retinemus,

§. 2. Confecit ergo *Numa* 12. menses ex 354. diebus, ut alternis vice cavi & pleni essent. Quia autem intelligebant, annum suam Lunarem anno solari brevioram esse & deficere  $11\frac{1}{4}$ . dies, ut hunc defectum resarciret, anno quovis secundo jam 22, jam 23. dies intercalabat, & quidem in mense Februario tum temporis ultimo post d. 23. Febr. Terminalibus jam peractis, Macrobius teste, Saturnal. l. i. c. 13. p. 216. Et illos dies 22. vel 23, singulis bienniis intercalares, vocabant peculiari titulo *mensis Mercedoniam*.

§. 3. Capit etiam *Numa Pompilius* in honorem imparis numeri singulis mensibus aut 29, aut 31. dies assignare, solo excepto Februario, cui adjecit 28 dies, arbitratus Diis manibus & inferis convenire numerum parem & minorem, quibus hoc mense justa exsolvebant. Sed quia annus uno die major factus erat, quam solaris, & jam constabat, si nepe dictae intercalationes singulis bienniis observarentur, non  $365\frac{1}{4}$  dieb. sed  $366\frac{1}{4}$  dieb. ideoque huic morbo & malo hoc excogitabat remedium. Cum singulis octenniis 90. dies in universum, diversis tamen vicibus, intercalares essent, nempe II. anno, 22. d. IV. 23. VI. 22. VIII. 23. &c. & ita tribus octenniis 24. dies abundarent, prioribus quidem octenniis retinuit intercalationes 90. dierum, tertio v. octennio non 90. sed 66 dies tantum intercalares, abjectis 24. diebus, qui tertio octennio ex creverant. Et propterea secundo & sexto octennii anno non 22. sed 16. dies, item 4. & 8. anno non 23, sed 17. dies intercalabat & eos mensi Mercedonio attribuebat, ut laborioso hoc calculo tandem annus Lunaris Romanus, post 24. annos elapsos, ad motum ☉ adaptaretur.

§. 4. Quia vero successu temporis, per gratiam Sacerdotum, qui publicanis proferri vel imminui consulto anni dies volebant, modo  
auctio,



auctio, modo retractio dierum proveniebat & sub specie observatio-  
nis emergebat major confusionis occasio, ideo postea C. Caesar omnē  
hanc inconstantiam temporū vagam adhuc & incertam in ordinem  
statæ definitionis coegit, velut perpulchrè loquitur Macrob. l. i.  
Saturnal. c. v4 p. 218.

Th. X. Julius C. annum solarem constituit  
365 dierum, & singulis quadrienniis unum diem  
intercalavit.

ἐκθεσις.

§. 1. Usus est Caesar ad hanc anni reformationem opera & in-  
dustria Sosigenis Mathematici illustris, quem eo animo & consi-  
lio ex Schola Alexandrina Romam secum adduxerat, anno an-  
te Epochā Christianam 45. A. M. 3905. De ea Sveton. in vita Ca-  
saris hæc scribit p. m. 28. *Conversus hinc ad ordinandum Reip.  
statum, fastos correxit, jam pridem vitio Pontificum per interca-  
landi licentiam adeo turbatos, ut neq; messium feria æstati, neq;  
vindemiarum autumno competere; annumq; ad cursum Solis ac-  
commodavit, ut trecentorum sexaginta quinq; dierum esset & inter-  
calario mense sublato, unus dies quarto quoq; anno intercalaretur.*

§. 2. Ex quibus perspicuum est, quod annus Julianus duplex  
fuerit, *Communis & bissextilis*. Ille constabat exactè ex 365 d.  
Hic verò quarto quovis anno ex 366 d. Nam 6. horæ quatuor vi-  
cibus neglectæ unum procul omni dubio conficiunt diem, qui  
in mense Februario intercalabatur post 23. Febr. ut sic sequens  
24. Febr., qui hodie est Matthiæ Apostoli & Romanis 6. Calend.  
Martii, bis numeraretur, unde etiā *bissextus*, vel *bissextilis* appel-  
latur Hinc versus ἀξιωματικόν & πολυβήλωντοι:

CCC LXV, VI. Horas continet annus,  
He bissextilem dant quantum quemlibet annum.  
Bissextum sexta Martis tenuere Calenda,  
Posteriore die celebrantur festa Mathiæ,  
Matb: Math. dicatur, sed festum non variatur.

§. 3. An propositus annus Christi quicumq; sit Bissextilis,  
des Schalt-Jahr/à Schalten/ quod significat inserere, dignosci  
fili labore potest ex divisione illius per 4. Nam si nihil rel. quæ  
est, annus omninò est bissextilis; Si aliquid, est communis. Sic

in



in anno currente παρθενολοχέυσεως 1654, quia facta operatio-  
ne duo remanent, certum hoc est argumentum, non esse eum  
annum bissextilē. Numerus quotiens, sc. 413 indicat, quot anni  
bissextilēs à nativitate Christi elapsi sint. Residuum verò mon-  
strat, quotus sit datus annus à proximo bissextili.

§. 4. Nec minorē oblectationem creat, scientia & modus, an-  
nos ab Epocha hac Juliana numeratos cum annis Pi Jæ, quæ cō-  
mune omnium Epocharum receptaculum insigni & nunquam  
satis laudato encomio audit, connectendi. Cum enim unanimi  
Historicorum suffragio egregium hoc opus ceptum sit Anno Pi  
Jæ 4669, hinc dato quovis anno Juliano addantur 4668 solidi  
anni. Summa annum Pi Jæ respondentem exhibitura utiq; est.

§. 5. *Menses Juliani sunt XII.* Primus est *Januarius* qui  
vel à *janua* nomen habet, quod per eum in anni penetralia, ut  
per januam in domum ingrediamur; vel à *Jano bifronte*. Ille  
enim 4. vultibus pictus anni σύμβολον & ιερογλυφικόν erat, &  
in manu dextera hosce numeros CCC, in læva LXV formatos,  
gestabat, ad designandum unicuique ex plebe anni quantitatem,  
*Februarius* à *Februo* s. Plutone dicitur, quia hoc mense sacrifi-  
cia Manibus & Plutoni offerre solebant, & populū expiare; un-  
de etiam *Lustratorius* s. *Purgatorius* mensis vocatus est. Hinc  
traditionem suam pro sacrificandis mortuis, ut è Purgatorio  
citius liberentur, hausisse Romanenses, ut multa alia ex paga-  
nismo, haut obscure colligitur. *Martius* à Marte derivatur, Pa-  
tre Romuli, ut vulgò putabatur, olimq; primus in ordine erat  
mensis. *Aprilis* quasi *aperilis*, ab aperienda terra vocatur, quia  
tunc, ut *Horat. Od. 4 l. 1. Carm.* canit:

*Solvitur acris hyems gratà vice Veris & Favoni*

*Trahuntq; siccas machine carinas.*

vel etiam quasi *Aphrilis*, ab ἀφρός, à Spuma, ex qua secundum  
Poetarum mentem ἀφροδίτη, Venus nata est. Quam ob causam  
ab *Ovid. 15 Fastor.* Aprilis Veneris mensis nominatur. *Majus*  
vel à Majoribus, vel à Maja, Mercurii matre, quæ una est ex  
Plejadibus, mane tunc temporis ex orientibus, nomen accepit.  
*Junius* à Junone vel Junioribus, Hinc *Ovid. in Fast. 3.*

Ter-





*Tertius à Senibus, juvenum de nomine Quartus,  
Qua sequitur, numero turba vocata fuit. Julius & Augustus ab  
Imperatoribus Romanis, dicti sunt, quorum ille in Quintili na-  
tus, hic v. in Sextili primùm ante justam ætatem Col. designa-  
tus est. September & reliqui sequentes menses à numero dicun-  
tur, quoti nempe sunt à Martio. Quot v. dies quilibet mensis te-  
neat, veteres hi docent versiculi:*

*April, ter denos, Jun, Septemberq, November,  
Uno plus reliqui, viginti Februus octo;  
At si bissextus fuerit, superadditur unus.*

§. 6. In primis annotari debet, quod Romani dies cujuslibet mensis in tres classes distribuerint, imitati in hac parte consue- tudinem Græcorum, de qua th. VII. §. II., nempe in *Calendas, Nonas & Idus*. *Calende* primaus erant mensis cujusque dies, *καλῆν* dictæ, quia Pontifex eo die in curia Calabra populo significabat, quoto die in aliquo mense futuræ essent *Nonæ & aliz ferix*. *Nona* autem jam incidebant in 5. diem, ut in Jan. Febr. April. Jun. Aug. Sept. & Novembri, & tunc quinquies alta voce clamabat pontifex, *Kalo Jana novella*: jam in 7. diem ut in reliquis quinque mensibus, & tunc septies eadem verba publicè promulgabat. *Jana* ð. Prisci appellabant Lunam, unde *Diana*, quasi *Dea Jana*, quam Romani Fastis præsidere putabant. *Idus* *Macrob. l. 1. Satur. c. 15. p. 223.* ab antiqua Hetruscorum voce *I-Iduare*, ð. e. dividere flectit, quasi dividunt mensem, præcipuè v. *Nonas* à *Calendis*. Alii *Idus* quia *Vidus* à videndo Gr. *ιδῆν* derivant, quia eo die plenam speciem Luna demonstrat. *Idus* verò incidebant jam in 13, jam in 15. diem mensis, & semper erant octavus dies à *Nonis*. Hæc versiculis sequentibus inclusit cana & sana Antiquitas:

*Prima dies mensis cujusque est dicta Calende,  
Sex Nonas Majus, October, Julius, & Mars:  
Quattuor at reliqui; dabit Idus quilibet Octo;  
Inde dies omnes alios dic esse Calendas,  
Quas retrò numerans dices à mense sequenti.*

§. 7. Dies suos Romani variè distinguebant, & quidem genera- liter in *festos & profestos*. *Festi dies* s. *ferix* non tantum commu-

D

nes





nes erant, ut Agonalia nono Januar. sed etiam propria familia-  
rum aut certorum hominum, ut feria *Claudia* & *Genethlia*, *O-*  
*nomasteria*, *Gamelia*, *Parentalia*, &c. *Profestos* iterum partieban-  
tur, in *fastos*, quibus fas erat Frætori tria verba profari, qualia  
sunt: DO, DICO, ADDICO: & *nefastos*, iuxta illud *Ovid. 1.*  
*Fast.*

*Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur;*

*Fastus erit, per quem jure licebit agi.*

2. in *faustos* s. *albos*, quos melioribus lapillis signabant, & in  
in *faustos* s. *atros* & *directos*, quibus facinorosus aliquis in diē est  
erectus, seu in crucem actus. 3. in *comitiales*, quibus cum populo  
agi licebat & comitia celebrabantur; in *Comperendinos*, quibus  
vadimonium juberi & dici poterat; in *Praliaves*, quibus fas erat  
hostem lacessere, & *statos*, qui iudicii causa cum peregrino in-  
stituuntur: Ut *Plaut. in Curcul.* Si status condictus cum hoste (i.  
e. peregrino) intercessit dies. *Vid. Macrob. Saturnal. l. 1. c. 16. p.*  
*m. 217.*

TH. XI. Tandem quia in anno Juliano  
subsequentibus seculis aliquid desideratum fu-  
it, Gregorius XIII. Papa annum emendavit.

ἐξθεοῖς.

§. 71. Etsi quidem anni Juliani ratio satis est ad quavis ne-  
gotia obeunda accommodata, suis tamen non prorsus caret im-  
becillitatibus. Nam quantitas anni solaris Tropici medii est  
365 dies. 5. hor. 49. Julius v. C. 365. d. cum 6. horis integris assump-  
sit & singulis quæ dienniis diem ex iis constituit. Sed hoc ip-  
so quantitas anni solaris est juito major assumpta & ii penè a-  
bundat, quinta fere horæ parte. Hinc factum est, ut quartis qui-  
busque annis 44. accreuerint, quæ adesse non debebant, &  
singulis 130 annis citèter, Juliani anni ratio solarem inte-  
gro die excedat. Hæc etiam causa est, quod *Æquinoctia* & *sol-*  
*stitia* retromearint. Nam cum tempore Julii C. & Christi *Æ-*  
qui-



Æquinoctiū incidere vel in 24. vel in 25. Martii, & tempore concilii Nicæni, A. C. 325. habiti, in 20. vel 21. ejusdem, hodie illud in 10. & 11. Martii cadat, nosque ita à die Æquodtii vero post Julii Cæs. tempora 14. dieb. & post Concil. Nicænum 10. dieb. discesserimus; & si diu ad huc pulcherrima hæc mundi machina, quod tamen vix sperare licet, durabit, sequuturis seculis semper retrogradietur more quasi cancerino Æquinoctium, usque dum è Martio ruat & repat in Februarium.

§. 2. Nam Patres in Concilio illo Oecumenico, jussu Constantini M. convocati, inter sese hoc sanciebant, lunam decimam quartam, quæcunque vel cum Æquinoctio conveniret, vel idem intra 15. dierum spatium proximè sequeretur, pro termino paschali habendam, atque sequenti Dominica pascha Christianum celebrandum esse: at cum plerique Patres, nihil minus, quàm Mathesin, callentes, æquinoctia se per calculum invenire haut posse, confiterentur, horum inscitæ consulendum erat per inventionem methodi cyclicæ. Fundamentum v. methodi istius lubricum prorsus erat. Nam Patres cælestis pietatis, quæ astrorum motus, peritiores, credebant, æquinoctium, quod isto ævo in 21. d. Mart hærebat, perpetuo ibi mansurum esse, nec unquam ab hoc termino progressurum. Enim verò vehementer lapsi sunt hæc in opinione sua. Etsi enim motus annuus Æquinoctialium punctorum tardissimus sit, scilicet vix 11, 5. successu tamen temporis notabile quid ille neglectus importare potest.

§. 3. Errores isti jam annis abhinc 200. in Concilio Constantiensi & Basiliensi animadversi sunt, & emendatio Calendarii necessaria visa. Anno 1464. Sixtus IV. Papa R. Joh. Regiomontanum, Francum natione, ex Germania Romam vocavit, ut negotium correctionis in se susciperet, sed non diu ibi commoratus, peste obiit. Anno 1516. Leo X. & Maximilianus I. Academies & Germaniæ Principes hæc de re consuluerunt, sed quia alii aliter senserunt, infectum negotium mansit. In concilio Tridentino iterum hæc quæstio agitari & disceptari cepit, verum nihil effectum & actum est.

§. 4. Tandem Gregorius XIII. opera Christoph. Clavii & Lilio ~~et~~ fratrum Anno 1582. emendationem anni hoc modo instituit





tuit, ut in uno anno 10. dies inter 4. & 15. Octobr. intercepti, &mitterentur & pro 5. Octobr. statim 17. scriberetur, quod Æquinoctium iterum 21. Martii restitueretur, feriae verò septimae non mutarentur. Sanctum quoque est, ut in annis 400. tres dies omitterentur intercalares, & quidem singuli post 7. vel 133. annos, incipiendo ab A. C. 1700, quo primus intercalaris erat omittendus. Litera Dominicalis infirma est mutata, & Paschalis celebratio ad mentem Concilii Nicæni revocata &c.

§. 5. Causæ verò, quare Protestantes in Ecclesia Calendarium Gregorianum amplecti & observare detrectaverint, graves & praevalidae fuerunt. Quia 1. Pontifex papali sua auctoritate ordinibus imperii & ipsi Imperatori illud injunxit & sub poena excommunicationis Ecclesiis obtrudit. 2. quia non consultis Principibus Germaniae solus illud cum suis Esavitis instituit. 3. quia his cuniculis primatum apud nos amissum postliminò introducere videbatur Papa. Nostrates fraudem mature olfacientes, multis demonstrabant argumentis correctionem illam necessariam haut esse, quia dies restitutionis omnium appropinquaret, & citra *ἀναξίαν* Veteris Calendarii praxis commode retineri possit, ut taceamus, qui nobis primo loco nominandi erant, errores Astronomicos quos plurimos autores reformati, verius deformati Calendarii commisisse alibi demonstratur.

§. 6. Claudimus jam dissertationem hanc & mantissae loco subsequens *περὶ ἀστρονομίας* adjungimus, quod est *Lili Greg. Gyraldi*:

*Dum nos secla, dies, menses metimur & ANNOS,  
Obrepit tacito mors inopina gradu.  
Quae feret aetheraeque diem, noctemq; profundam,  
Acta tibi qualis, talis agenda dies.*

A. 3. linea 1. per transpositionem lege *ἡμῶν*

SOLI DEO GLORIA.





01 A 6640

ULB Halle 3  
003 108 309



Sb.


VD 17











95.

CHRONOLOGICA  
DE  
ANNO,

*Quam*  
IM CLEMENTER ANNUENTE  
TISSIMA LEUCOREA,  
RÆ SIDE  
CLARISSIMO,  
IDIO STRABCH/  
LLEGI PHILOSOPH.  
ADJUNCTO,  
SUI HONORANDO,  
QUE EXAMINI SUBMITTIT  
US SAURIUS  
ER. POLON.  
CHRIST. VULG. MDC LIV.  
L.VIM. CCCLXVII.  
ANO M VIC XCIX.  
MPIADIS VIC VII.  
HEGIRÆ M XXXII  
PI M IXG LXXIX.  
DIE XX MAII.

Æ in Ergasterio JOH. HAKEN.